DISPUTATIO POLITICA
De
Magistratu,

quam

PRÆSIDE

M. MICHAELE WENDELERO P.P.

publicè proponit

CYRIACUS HEYDELBERGERUS Lipf.

Die 30. Decembris in Auditorio Majori horis matutinis à VII. usque ad XImam.

WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typographicâ MICHAELIS Wendt

ANNO M DC XLVII.

TRINO SENATUI

Lipsiensi splendidissimo, & Amplitudinis magnitudine Excellentiss. *Patribus Patriæ* meæ, quæ est Lipsia, conscriptis, Dominis, ac Patronis meis, summâ deveneratione reverenter, ac honorificè semper colendis;

Nec non

Parenti meo dilectissimo, Dn. CYRIACO Heydelbergern / J.U.D. & Curiæ provincialis Saxon. Electoralis Lipsiensis Advocato ordinario,

Hanc inscribo, dedico & transmitto disputationem ex Academiâ Wittebergensi, animô modestô & devotô.

Ad Patres Patriæ Lipsiensis.

NAtura sicut *ipsa*
Vult Liberos amare
Suos, *Suos* Parentes
Generationis ergo:
Sic *Jura Civitatis*
Patres, sibi dicatos
Jubent amare Cives,
Directionis ergô.
Vos, *Patriæ* Colendi
Patres, *Honore*, *Amore*
Digni meô; *Favete*
Vestro, *Favete*, Civi,
Qui Vos amat, vicissim
Amate Vos amantem.
Amoris esto *Munus*
Mei, manus modestè
Quod offerunt, videte
Hanc Disputationem,
Et Disputationis
Hanc Dedicationem.
Videte, judicate;
Opus, *Patres*, Amoris,
Sua quidem patente
Exilitate *parvum*,
Sed intimâ Pietatis
Capacitate *Magnum*.
Quin *maximum* futurum
Affectione vestrâ,
Promotione vestrâ
Meas juvante *Musas*.

Cyriacus Heydelberger
Bon. Art. Bacc. R.

I. N. J.

On tanta est potestas orbi huic imperantium; summa licet sit, ut omnes muneris sui partes implere soli possint atque exequi. Non prospicere potest ex æquo omnibus Princeps, nec præesse solus subditæ multitudini. Administris itaque opus est, qui vicem ejus obeant, Eumque & publicis & privatis districtum negotiis adjuvent fideliter. Magna siquidem negotia magnis indigent adjutoribus. Plus vident oculi, quàm oculus. Nec una tantum præstat manus facilè, quod duæ poterunt aut plures. Meritò igitur observanda hîc, quæ habet Philosophorum Princeps: ἄνευ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι πόλιν. De quibus inferioribus Magistratibus libet hâc vice Positiones quasdam, quod & de summo factum est antè, in medium proponere. Tu, DEus maxime, adsis ceptis & conantem adjuva! *l. 4. Pol. 4.*

POSITIO I.

Personæ, quas ad faciliorem Reip. administrationem adhibet Majestas, non sunt liberæ & absolutæ potestatis.

Ut in singula Reip. membra commodiùs derivetur salus Reip. quam intendunt unicè Principes boni, seliguntur Personæ, quibus datâ simul autoritate & lege definitâ, negotium committitur publicum. Accipiunt itaque potestatem ab alio, nec omnem tamen, sed aliquam. Manet conjuncta cum jure imperandi parendi necessitas. Fas igitur, ut intra præfixos limites se contineant, & ita absolvant commissa munia, ne ultra, quàm pareat, progressi, Majestatem, à quâ dependent toti, violent. Metuendum hoc tunc sæpè est, cùm viris illis armorum vis omnis concreditur, & occasio aperitur augendæ nimiùm potentiæ. Quare ita afficiendi dignitate sunt minorum gentium homines, ut uti-

lis ea sit Patriæ, non exitiosa. Non absre erit quoque eandem certo circumscribere tempore, quod ad libertatis custodiam multum conferre creditur. Undè & hanc ob caussam Dictatura in liberâ Romanorum Republ. fuit tantum semestris.

II.

Personarum dicto modo subornatarum usus præcipuus in consiliis dandis & auxiliis Reip. ferendis.

Duo hæc sunt quæ â ministris suis Princeps poscit officia. Prima Ipsi cura in Consiliariis optimis quibusque adsciscendis. Et exigunt horum opera primariò Politici, adeò ut fundamentum existiment, in quo tanquam immobili cardine cæteri magistratus mutabiles versantur. Nec potest regnum majori affici commodo, quàm si unà cum Principe bono Consiliarios habeat non malos. Ruit mole suâ vis omnis, quanta quanta sit, si expers sit consilii: Firmatur verò & redintegratur Imperium Consiliorum dexteritate, si vel maximè interitui proximum jam fuerit. Cætera, quæ Reip. promovere queunt utilitatem, cæteri dant expeditum Officiales. Hic judicando, & pœnam malis, bonis præmia disttribuendo; alter circa reditûs & ærarium publicum occupatus est, atq; ut illud augeat ac locupletet subinde, omnem movet lapidem. Sua quod Cuivis tribuit sparta, efficit sedulò, ut omnímoda Reip. exurgat Salus.

III.

Consiliarii & Senatores decernendi ac sententiæ pronunciandæ jus quidem habent, imperandi tamen potestate carent.

Nullum penes Senatores, ut tales, Imperium. Temperare debent

debent in Democratiâ præcipitantiam & furorem vulgi, consiliorum tarditate prudenti, & consulere Monarchæ, qui quod ex usu & re populi fit cernere solus non potest, nec vult semper, quod Antonius pius faciebat, qui æquius est, inquit, ut tot & tantorum amicorum consilia sequar, quàm ut tot & tanti me unum. In Aristocratico statu aliter se res habet. Componitur ex ipso senatû Aristocratia. Undè mirum non est, si isti habeant simul potestatem. Præscribunt itaque modum saltem ac normam Consiliarii, juxta quam formanda & reformanda Respublica, non ipsi præcipiunt aut immutant quicquam, nec falcem in alienam mittant messem, aut curiosi habeant curàm rei, quæ ad illorum forum spectat neutiquam.

IV.

Consiliarios Fidelitas commendat maximè & Taciturnias.

Evehendi non præcipuè sunt quilibet in consilium, sed qui rerum experientiâ, sine qua Resp. administrari haut potest, præcellentes, quod in commune conducat, consulere norunt. Adhibiti ex fide agere rem debent, utpotè quibus providendum quoque est, ne quid Resp. capiat detrimenti. Sint ab adulatione alieni, & celent nihil, sed puram meramq; propinent veritatem, nihil verentes vultum Tiberii, aut sævitiam Domitiani. Absit etiam insatiabilis auri cupido, ne lucellum turpe anteponatur rei publicè tractandæ. Moneat de periculis Principem Consiliarius & noxis, quas impendere videt regioni, & subducat eum futuræ tempestati, Cato veluti alter, qui impendentia crebrò vaticinatus est. Occultandum deinceps, quod prolatum est, consilium, nec divulgandum temerè. Proditur enim â Consiliariis Princeps & Respubl. cujus consilia enunciantur, quæ irrita hoc modo redduntur, & nocent magis quàm prosunt. Gravissimum est monitum Leonis Imperatoris: In rebus occultis & abditis fideles adhibe Tibi & temperantes Viros & Taciturnos, & qui in suâ non aliorum potestate sunt: cum secretæ res istæ ut secretiores fi-

ant, non indigeant ad agnoſcendum multitudinem. Juſtæ apud gentes ferè omnes pœnæ divulgatoribus iſtis leguntur poſitæ, Ægyptiorum lex abſcindere illis jubebat linguam, quos Romana ſanctio exurendos vivos & ut Transfugas, furcæ ſuſpendendos dictitabat. Magni igitur æſtimanda Conſiliariorum Taciturnitas, optimum illud atq; tutiſſimum rei adminiſtrandæ vinculum. Ad quam incitari debent etiam exemplo Epaminondæ qui ex eo, quod commiſſi fuerit celans, non minimâ ab hiſtoricis laude commendatur.

V.

Auxilio juvantes Rempubl. non unius ſunt generis, ſed plures eſſe poſſunt, iiq; generales & ſpeciales.

Ut variæ. Rerumpubl. formæ ſunt, variæ itidem functiones: ita varii quoq; ſunt ii, qui earundem adminiſtrationi ſeſe accingunt. Committitur negotium cuivis pro ingenii modulo, & rei dignitate. Brevibus quod limitatum eſt terminis, non multis indiget adminiſtratoribus. Sic initio Reges Romani contenti erant Tribuno, quæſtore, & abſente rege, præfecto urbis, ut refert Dionyſius Halicarnaſſeus. Deindè verò creſcente Rep. Magiſtratuum numerus etiam crevit, ut patet hoc ex Pompō. l. 2. de org. Jur. Feneſtellâ, Sigonio de Magiſt. Rom. Zaſio, Cujacio, & aliis JCTis. Quoniam verò ex adminiſtratione duplici univerſali & particulari judicatur, rectè Magiſtratuum minorum natura duplex ille ſtatuitur: generalis, cujus cura in providentia de ſalute totius Reip. verſatur, & ſpecialis, quem dicimus eſſe Quæſtorem, Judicem & Cenſorem.

VI. *Cura-*

VI.

Curatores ut præficiantur ærario, ex usu est Reipublicæ.

Ærarium enim si accuretur minus, labascet Imperii vigor miserè. Pecuniæ sunt rerum gerendarum nervi, sine quibus ut ambulare ægrè possumus: ita nec Respubl. progredi valet sine istis. Solvenda stipendia officialibus, sustentanda Imperatoris familia, ædificia publica, sacra & profana restauranda. Quæ omnia non temnendam poscunt pecuniæ summam. Quid quod nec bellum, quo nititur Reip. salus non rarò, suscipiatur feliciter satis, si Ærarium non sufficienter sit instructum. Quare imitandum prudens consilium est, quod de Augusto c. 99. Suetonius memorat: Quicquid ubiq; militum esset, ad certam stipendiorum, præmiorumque formulam astrinxit, definitis pro gradu cujusq;, & temporibus militiæ & commodis missionum, ne aut ætate, aut inopiâ post missionem sollicitari ad res novas possent. Utq; perpetuò sine difficultate sumtus ad tuendos eos, prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis constituit. Alexander Severus gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris usui non esse. Ita Nerone Principe quadringenties H. S. Ærario illatum ad retinendam populi fidem. Opes adeò publicæ necessariæ exemplo gentium omnium vel plurimarum. Quibus si destituatur aliqua Respubl. fatum sentiet idem, quod Spartanorũ, qui ex ærarii defectu opprimebantur, assurgentibus contra Romanis, hâc ex parte abundanter instructis.

VII.

Quæstorum cura circa Ærarii publici accepta & expensa occupata est.

Quæstura apud Romanos gradus erat honoris, ordine primus,

d

dignitate ultimus. Tyrocinium appellaretur rectè nobilitatis, & eorum, qui ad Rempubl. evolare satagerent. Ostendebant ibi indolem suam ac ingenium, & imprimis custodiendi solertiam, alieniq; abstinentiam. Quâ de caussâ non ipsis solum sed & eorum asseclis lege Claudiâ prohibita fuit negotiatio. Nam quæ prima illis atque potissima officii pars erat, circa reditûs ærarii versabantur, scilicet ut publicas pecunias ex hæreditatibus, mulctis (undè mulctarum receptores, dicuntur Tacito,) aliisque de caussis ad ærarium publicum pertinentes, vectigalia & quicquid ex agris locisque publicis elocatis percipi potuit diligenter conquirant, & in ea, quæ communis necessitas requirit, erogent. Dicti inde ab inquirendâ pecuniâ quæstores, ut testatur Pompon. l. 2. §. 22. de origin. Jur. Modi acquirendi pecunias publicas plurimi. Septem tamen generibus includi eos posse Bodinus l. 6. de Rep. c. 2. dicit. Primum est ex agris publicis, pro quibus elocatis pensiones ærario numerabantur. Alterum ex hostium spoliis quo mirum in modum Romanum augebatur ærarium. Omne enim quod ab hostibus Romani populi acquirebatur in usum publicum ejusdem asservabatur, ut inde cruentarum prædarum receptaculum fuerit dictum. Plin. in Panegyr. Tertium ex amicorum largitionibus & legatis. Qui posterior modus Reip. Romanæ maximum quoque dedit augmentum. Nam Ptolomæus Cyrenensium, Atlas Asiæ, Eumenes Pergami, Nicomedes Cithyniæ, Cretius Alpium Reges Populum Romanum fecerunt hæredem, amplissimaque Regna nullâ vi quæsita legarunt. Augustus quoque Cæsar immanem pecuniæ summam populo Rom. legavit. Quartum genus est, quando annua pensio â sociis Civitatibus ex fœdere percipitur. Quintum quando Princeps vel Magistratus mercaturam abundantem & quæstuosam vel suo vel alieno nomine exercet. Quod non adeò frequens & Imperatoriâ dignitate indignum. Sextum ex Vectigalibus earum rerum, quæ evehuntur & invehuntur: quod & antiquissimum & usitatissimum. Septimum est ex tributis & collectis subditorum. Quod arripiendum non facilè est, nisi extremâ necessitate adigatur Princeps eô, quod providere tamen tempestivè de-

vè debet. Defectionis enim caussa esse solet tributum, si præter solitum imponatur populo. Ut igitur in officio contineatur, & obsequio subditus, proportio in exigendis tributis probè observetur.

VIII.

Ut Justitia floreat in regno Judicum efficitur operâ atq; prudentiâ.

Justitiæ habenda etiam in regno cura, & vel omnium maxima. Servat hæc regna & collapsa ad pristinum reducit nitorem. Tollenda est malitia & petulantia, nec ferenda impunitas, quæ mater est insolentiæ, radix impudentiæ & transgressionum nutrix. Ut enim, Ciceronis sunt verba, in corpore, si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secariq; patimur, ut membrorum aliquod potius, quàm totum corpus intereat: Sic in Reip. corpore, ut totũ sit salvũ, quicquid est pestiferum, amputandum. Restituenda est dignitas ei in quem est peccatum & deterrendi alii pœnarum gravitate, ne simile quid audeant. Præmiis etiam, qui alter modus exercendi Justitiam est, mulcendi boni, ut in cursu laudabili pergant, & eandem ad virtutis viam instigent alios. Præstantissimos enim Viros in eorum Republ. esse dicit Thucydides, apud quos maxima virtutis præmia proponuntur. Quod ut fiat decenter, legendi Viri boni sunt, qui suum cuiq; tribuant, & jus secundum Legum præscripta dextrè pronuncient. Valet hîc multum animus scientiâ solidâ imbutus, & affectuum pravitatè vacuus. Hi enim velum obtendunt veritati, nec Judicare ex æquo sinunt.. Pars audienda utraque est, nec damnanda ea, quã causæ innocentia absolvit. Elegans exemplum præbet Alexander M. quod omnibus Judicibus imitandũ reliquit, qui cùm controversias audiret, solitus fuit aurem alteram obturarare, ut eam reo integram servaret. Momentum non parvum etiam in eo situm, ne quid præcipitanter agat Judex, cùm nihil tàm contrarium sit judicio, quàm subitò sine judicio decernere.

IX.

Censores circa actiones & mores ab honesto deviantes versantur, absolvitúrq́; eorum officium inquisitione & animadversione.

Coërcere debent populum & animadvertere in mores aut luxus eos, qui legibus non arcentur Censores. Unde censura magistra pudoris & modestiæ Ciceroni dicta est. Inquisitió ut instituatur rectè, occupata est in explorandâ generatione; ut nempè matrimonium ineant personæ habiles, ne illiciti concubitus impunè concedantur, & simultanea Polygamia toleretur; ne mulieres gravidæ abortum protervè causentur; ut obstetrices idoneæ constituantur in educatione, ut & ratio alimentationis & procurandæ sanitatis habeatur. Consistit & pars officii censorii in indagandis facultatibus civium, ut constet, quantum quisque bonorum possideat: in explorandâ ætate ac prosapiâ, ut innotescat cujuslibet civis conditio, an sit plebejus; inquilinus an forinsecus adscitus & allectus, spurius an legitimus, quorum singulorum exploratio nisi præcesserit, Magistratus vix sese decenter gesserit, vel erga peregrinos in quibus recipiendis & tolerandis peccabit multum vel in excessu, vel in defectu; quod utrumque Reip. non parum est exitiosum.. Explorandæ & actiones vitiosæ & emendatione indigentes, vel ex defectu temperantiæ, vel liberalitatis, mansuetudinis, justitiæ, æquitatis, aliarumque Virtutum propullantes, de quibus Politici passim. Factâ exploratione & correctione irritâ animadversionem exercent Censores increpando graviter, & ignominiæ notam infligendo: vel si correctu non adeò faciles sint homines, certam pecuniæ summam exigendo ab iis, vel carceribus & ergasteriis hâc ob causam â Magistratibus constitutis includendo. Quæ ut olim instituebantur & urgebantur strenuè omnia, ita tanta hodiè in iis remissio & negligentia, ut Virorum gravissimorum querelas meritò excitent & lacrumas.

Optan-

Optandum itaque ut reducatur censura& de novo institaretur; quibus verbis D. Mart. cap. 29. Polit. concludit.

X)

Extra ordinem & sine lege quibus officia committuntur, Curatorum nomine generali veniunt.

Multiplices ii & ferè plures reperiuntur, quâm Magistratus. Maximam enim cognationem habere dicitur Curatio & Magistratus, adeò ut idem officium sæpius ex curatione abeat in Magistratum, si consuetudine cœperit continuari. Sic ordinarii facti sunt Magistratus Tribuni militum, qui consulari potestate curatores initio erant. Hos inter maximâ præminent dignitate Legati, quorum prolixior institui posset Consideratio; sed hâc vice placet hic subsistere.

Sicque.

SOLI DEO GLORIA!



